


A

# CONCLVSIONES PHYSICÆ PROPVGNANDÆ

AB ANTONIO FRANC. MARIA ABBATE DE ORLANDIS

IN COLLEGIO FLORENTINO SOCIETATIS IESV:

ADDITA EST EXERCITATIO De Transitu ignis per vitrum, & de vacuo.

FLORENTIÆ

Apud Hippolytum Navesium, 1678. *Sup. Permissu.*


PINGO NŌ FINGO

D. IOS. del Papa in epistolâ italicâ de calore & frigore, ut probet ignem transire per vitrum adducit pag. 52. experimentum vitrearum cucurbitularum: ad hominem *contro quei filosofi che negano questa penetrazione, ed insieme difendono non poter esser in natura spazio alcuno privo di corpo*. Vereor ut nos philosophi simus, certè hucusquè negavimus penetrationem ignis, ac naturalem vacui possibilitatem; alioquin; de ægrotis quibus cucurbitæ applicantur, usurpare licebit Horatianum illud epist. 2. lib. 2.

*Quem poterunt unquam satis expurgare sicuæ?*

Videamus utrum argumenta nuperi huius & insignis atomistæ, eripiant vel adiiciant probabilitatem nostræ & communi sententiæ.

Transitum ignis per sicuas vel cucurbitas probat p. 53 *A volere che la carne s' alzi per riempire il voto è necessario che qualche corpo si parta; altrimenti non occorrerebbe che ella salisse: e di più è necessario, che se ne*

*ſcappi penetrando il vetro* : atqui intra ſicuas exiſtunt aër fumus & ſtupa combuſta quæ exire nequeunt, ac præterea exiſtit ignis. *adunque non altro che il fuoco è quello che vià ſe ne vola, paſſando per la ſuſtanza del vetro*. Ex his verbis formatur

Primum argumentum. Non aſcenderet caro in ſicuis niſi exiret aliquod corpus tranſeundo per vitrum. nequeunt exire alia, nimirum aër fumus aut ſtupa combuſta. ergo exit ignis.

Neque mirum eſt carnem igni diſcedenti honoris cauſa aſsurgere. nam talis aſcenſus pendet a privatione corporis, ſeu a vacuo exiſtente in ſicuis. Probat a pari pag. 81. *Molte ſorti d'animali ſani e gagliardi poſti nel voto torricelliano, quivi ſubito patiſcono moti convulsivi, tremori e rigonfiamenti di carne, fino a ſchizzar loro gli occhi di teſta : e pure fà di meſtieri confeſſare, che tutti queſti accidenti da una ſemplice privazione di corpo dipendono*. Vacuum torricellianum eſt vas illud vitreum quod alii propterea cenoſcopium, nos a raritate quam indicat manoſcopium nuncupabimus. ſit ergo

Secundum argumentum. Sicut in manoſcopio convulſiones animalis dependent a ſimplici privatione corporis ſeu a vacuo, ita aſcenſus carnis in ſicuis, a privatione ignis egreſſi depende-

re

re potest. ergo bene allata est causa ascensus carnis.

Confirmatur ex pag. 81. *La privazione non può essere cagione d'un effetto vero è reale; ma può ben essere una condizione necessaria* &c. *Togliendo una trave maestra da un pavimento, egli subito cade e rovina; e levando un zipolo da una botte, tutto il vino si versa. è pur questi effetti positivi non sarebbono accaduti senza la privazione della trave e del zipolo.*

Tertium argumentum. Licet privatio nequeat esse causa, potest tamen esse conditio effectus veri & realis. ergo vacuum seu privatio corporis in sicuis & manoscopio, erit conditio elevationis carnis & convulsionum animalis.

Sicut autem ut docet pag. 38. tunc datur densitas in corporibus, *quando i componenti d'una materia sono molti in numero, e fra l'uno e l'altro niuno o poco spazio voto si trova*: ita datur raritas, *quando i suoi componenti sieno pochi, ed occupino molto luogo*; videlicet *quando fra gli uni e gli altri sieno frapposti molti e assai capaci spazj privi di corpo*. hinc habemus

Quartum argumentum. Non salvatur corporum rarefactio sine vacuo. ergo hoc est admittendum.

Contra primum argumentum est difficultas ex

pag. 178. ubi sic legimus de vasis vitreis plenis aquâ ferventi. *Mentre i vasi son collocati nell'aria, molti de gl' ignicoli che in quella si muovono, passano continuamente per i loro strettissimi pori, ed a viva forza gli tengono dilatati. ma quando poi rimossi dall'aria s' immergono nel ghiaccio, nel quale pochi o niuni ignicoli si ritrovano, cessando il detto passaggio, cessa ancora la violenta dilatazione: onde ristringendosi i vasi, e scemando la loro interna capacità, fà di mestiere che i liquori in essi contenuti si sollevino alquanto.* Ex una parte merito negatur ab Autore transitus ignis per glaciem. nam hæc, ut docet pag. 185. est aqua privata igne; sed si ignis transiret per glaciem, id non verificaretur. ergo nequit transire. Præterea calor est ignis motus ut docet pag. 30. sed si glaciem pervaderet ignis, daretur in ea ignis motus; ergo daretur calor. Nihilominus male videtur negari transitus ignis per glaciem, si vera dicit A. pag. 46. *Son di parere la luce essere il fuoco medesimo, risoluto ne' suoi primi componenti; onde non mi apporta maraviglia alcuna il vedere ch'ella riscaldi.* Confirmat identitatem ignis cum luce altera epistolâ: & quia videbat obiici posse, aliquando igniculos calefacere ac non illuminare, aliquando illuminare & non calefacere, aliquando

do calefacere & illuminare, ita respondet p. 57. *Queste materie che sono calde e tenebrose tramandano gl' ignicoli invischiati con altri corpi, quelle che son lucide e non apportano calore, vibrano pochissimi ignicoli, ma liberi e separati da ogni altra sostanza. da quei che con la luce arrecano il caldo, si diffondono e pervengono alle nostre membra i minimi del fuoco, altri intrigati altri sciolti.* Hæc responsio non videtur tueri identitatem lucis cum igne, nam materiæ calidæ & tenebrosæ, sunt ignis, & non sunt lux. materiæ lucidæ sed non causantes ullum calorem, sunt lux & non ignis; illæ vero solæ, quæ illuminant & calefaciunt, possunt vocari lux & ignis. Itaque non apparet cohærentia istarum propositionum. Lux est ignis. Lux calefacit. Dantur materiæ *che son lucide, e non apportano calore.* Verum quicquid sit de hoc, Sol proculdubio est lucidus & calidus. rogo iam; dum radii solis transeunt per vitrum diaphanum tersissimum, quod totum penetratur luce, & habet notabilem calorem; an omnes illi igniculi sint soluti ac puri, an potius aliqui sint *invischiati con altri corpi?* si negat omnes esse liberos & puros, frustra negat: nam æquius est fidere oculis testantibus oppositum, quam nudis verbis absque probatione. si concedit, ergo non est verum,

 igni-

igniculos gignentes lucem & calorem, esse partim solutos & puros, partim illaqueatos & impuros. His positis formamus nonnulla argumenta. Lux solis transit per glaciem diaphanam; sicut transit per vitrum, ut patet experientia. sed lux solis est ignis. ergo ignis transit per glaciem, sicut per vitrum. imo non solum transit lux, sed etiam calor: iste enim est ignis motus. sed lux transiens per glaciem est ignis motus. ergo prædicta lux est calor. adeoq; in glacie datur calor, sicut experimur vitrum illuminatum sæpe esse calidum. Confirmatur. nam radii solis transeuntes per glaciem, aut per vas vitreum plenum aquâ gelidissimâ (dummodo glacies & vas habeant figuram lentis) comburunt, sicut dum transeunt per lentes ex vitro solido; ergo iidem effectus illuminandi & comburendi, fiunt per vitrum & per glaciem. adeoq; non est maior ratio dicendi lucem seu ignem transire per vitrum quàm per glaciem. per hanc non transit. ergo neque per illud. Quum itaque sint evidentia hæc principia. 1. Lucem propagari per glaciem. 2. In glacie non dari calorem. 3. Datum iri calorem in glacie, si lux esset ignis propagatus per motum localem, patet manifeste lucem non esse ignem, ac non propagari per motum localem. unde etiam

sequi-

sequitur eandem utpote non habentem contrarium, propagari in instanti, nequicquam refragante A. p. 46. Iam si atomi lucidæ quæ ab ipso A. nuncupantur *fiore del fuoco* non transeunt per vitrum ut neque per glaciem, multo minus igniculi impuri *& immischiati con altri corpi*, ultro citroque permeare poterunt vasa vitrea.

Eadem verba desumpta ex p. 178. suppeditant aliam difficultatem contra primum argumentum. Si non exiret ignis è ficulis, caro non elevaretur. sed si in vas vitreum prædictum ingrediuntur igniculi ex äere, ut dicit A. ingredientur etiam in ficuas? ergo igniculi intrantes supplebunt locum eorum qui exeunt, adeoque caro non elevabitur. Idipsum probo alio medio ex p. 54. ubi reprehendit peripateticos dicentes *dalla coppetta non partirsi corpo veruno, ma tutti insieme ristringersi e condensarsi* ac statim subdit; *Questo non può succedere per esservi presente il fuoco*: sic autem arguimus. Ignis præsens intra ficuas, per sympathiam advocare debet alios igniculos qui transibunt per vitrum ne caro elevetur. ergo caro non elevabitur. Probo ant. 1 quia sicut dum ligno applicatur ignis ac totum lignum comburitur, non producitur de novo ullus ignis; imo *per opera di pochi igniculi* (pag. 9 *che di fuori penetrano in un*

*legno*,

*legno, moltissimi altri che quivi stavan racchiusi, alla natia libertà ritornando, si trasmutana in cocente fiamma*: ita multi igniculi qui vagantur per aerem (ead. p. 91. v. 24.) evocari poterunt ab igne qui est intra ficuas, ut caro eleveturr. Idem ant. probatur 2. ex p. 117. *Quel sapientissimo architetto, perche la luce fosse idonea a muoversi, ed a penetrare in ogni luogo benche recondito, la formò di minutissimi ed invisibili corpicciuoli lisci e rotondi, i quali dal Sole e dalle Stelle fisse incessantemente vibrati, liberi ne scorressero d'ogni intorno, finche di nuovo al primo origine ritornando, il Sole e le Stelle della lor perdita reintegrassero*. Itaque sicut Sol advocat ad se atomos igneas, ut suam iacturam redintegret, cur ignis præsens intra ficuas, non advocat alias atomos igneas, ad suam iacturam redintegrandam, in quo casu caro non elevabitur? Patet igitur iuxta hypothesim A. carnem non elevandam. sed elevatur de facto, ergò hypothesis est falsa.

Contra 2. argum. est difficultas ex p. 23. *Io non sò intendere come con le sole forze della natura succeder possa, che una cosa che non sia corpo, abbia virtù di far muovere i corpi, e di fargli crescere e scemare, di peso e di quantità*. ex quâ ratione asserit, calorem & frigus non esse qualitates, ita

verò

verò poteſt formari argumentum : Motus localis corporum dependet ab alio corpore. ergo ſi propterea calor & frigus nequeunt cauſare ullos motus in corporibus ; ea dilatando vel conſtringendo, neque preſſio aëris exiſtentis extra ſicuas, poterit cauſare aſcenſum carnis intra eaſdem : ſed cauſat. ergo calor & frigus poſſunt cauſare aliquos motus. Probatur prima conſequentia : Sicut calor & frigus non ſunt corpus, ſed accidens corporis, ita ſimiliter preſſio. ergo ratio eſt eadem. Itaque dicimus, intra ſicuas carnem aſcendere ob preſſionem, aërem conſtringi ob frigus. Miror A. non vidiſſe falſitatem illius aſſumpti : Solum corpus habet virtutem movendi localiter corpora ; nam ira & verecundia non ſunt corpus, & tamen evocant ſanguinem ad faciem : timor non eſt corpus, & evocat ſanguinem a facie : imaginatio cibi moleſti non eſt corpus ; & eſt cauſa vomitionis. ergo non ſolum corpus eſt cauſa motus localis. Ratio a priori facilè aſſignatur. Sicut motus localis non eſt corpus, ſed eſt accidens corporis ; ita cauſa illius non eſt neceſſario corpus, ſed poſſunt eſſe accidentia preſſionis, caloris & frigoris. Quod autem etiam frigus ſit qualitas poſitiva, oſtenditur ex diſparitate inter glaciem & vitrum. non convenit vitro frigus actuale

le intenſum, ideo lux facile illud calefacit; glacies verò habet neceſſario frigus intenſum, reſiſtens poſitivè calori, quem lux in eâ cauſaret; nec poteſt calefieri, niſi deſinat eſſe glacies: ſed ſi frigus glaciei reſiſtit poſitivè calori eſt qualitas poſitiva. ergo malè negat A. pag. 72. frigus eſſe qualitatem poſitivam.

Contra 3. argumentum eſt difficultas in ipſiſmet exemplis a quibus deſumitur. Cauſa cur pavimentum cadat ablatâ trabe, eſt gravitas pavimenti; conditio eſt carentia ſuſtentaculi quod antea dabatur, nimirum trabis. Cauſa cur vinum effundatur, eſt gravitas vini; conditio eſt carentia epiſtomii, quod antea prohibebat eius egreſſum. In caſu noſtro, cauſa elevationis carnis & convulſionum animalis, eſt aër exterior qui premit; conditio vero eſt carentia illius denſitatis, quam ſi haberet aër intra ſicuas, ſine effectu premeretur caro. ſicut ergo ſola carentia epiſtomii ſine gravitate vini nihil faceret; ita ſola carentia denſitatis, nihil faceret ſine aëre.

Contra 4. argumentum ſunt illa experimenta, propter quæ Philoſophi negant poſſibilitatem naturalem vacui. e. g. dum mercurio exiſtenti in fiſtulâ duobus cubitis longiore, fit facultas effundendi

dendi se in alium mercurium, descendit quidem usque ad certam mensuram; nihilominus si calefiat fistula, magis descendit, si frigefiat ascendit. Iam si digito claudatur foramen fistulæ, eademque educta ex mercurio & inversa, mergatur tota in aquâ, tunc vero digitus removeatur; ascendet per aquam fluctuando, bulla maior vel minor, pro ratione spatii quod in fistulâ non occupabat mercurius. Præterea si suspendatur intra manoscopium horologiũ cum campanulâ, post quantamlibet rarefactionẽ auditur illius sonus. Ergo ex prædictis aliisque pluribus patet non dari vacuũ, & sine eo saluari raritatem & rarefactionẽ

Ad 1. argumentum nego maiorem. caro elevatur, quia premitur ab aëre extrinseco sicuæ: frustra tamen premeretur, nisi in aërem versus esset ignis, quo stupa sicuis iniecta, combusta est. sicut autem aër pateretur nimiam violentiam, si haberet eam raritatem quam habebat ignis; ita si condensaretur & caro non elevaretur, daretur vacuum; a quo quantum abhorreat natura, ostendunt experimenta cuivis philosopho notissima.

Refragatur A. condensationi aëris intra sicuas *per esservi presente il fuoco il quale sommamente rarefà le cose* (pag. 54.) verum præterquamquod hæc responsio non militat ad hominem contra nos, qui negamus post extinctionem stupæ ardentis da-

ri ignem in ficuis; imo A. petit principium, dum assumit esse in eis ignem: ipsemet A. sibi non constat. si enim dicit dari ignem in ficuis; ergo falsò asseruit ead. p. 54. v. 6. ignem exiisse. si dicit non dari; ergo falsò asserit v. 17. in eis dari ignem. Præterea, si ignis exiit, quare aër non condensetur? si non exiit, quare caro elevatur, vult enim carnem elevari ob discessum ignis? Neque dicat partem ignis exiisse, partem remanere; quia nisi totus vel fere totus egressus fuerit, non salvatur quod remanente aëre & fumo, *il fuoco se ne vola via*. nisi remaneat totus aut fere totus, nequit impedire condensationem aëris, & elevationem carnis; verè tamen hæc non est effectus discessus, sed extinctionis ignis; ut dictum est. Ad 2. nego antecedens.

Ad 3. distinguo antecedens. Privatio potest esse conditio, si detur simul causa positiva, concedo antecedens: si non detur, sed privatio sit mera, nego ant. & eodem modo distinguo consequens. Totalis carentia aëris in ficuis & manoscopio, nequit esse conditio elevationis carnis & convulsionum animalis, nisi simul detur causa positiva, quæ ut vidimus, est aër premens.

Ad 4. nego antecedens. Experimenta docent, rarefactionem consistere in transitu a minori spa-

tio

tio occupando ad maius . similiter docent experimenta, vacuum non posse dari . ergo non est asserendum, rarefactionem dari per vacuum . sunt autem diversæ quæstiones : an rarefactio consistat in transitu prædicto ; & quomodo fiat prædictus transitus : neque debet negari primum, quia ignoratur secundum .

Superest ut expendamus propositionem quam habet Autor p. 117 nimirum a Deo creatam fuisse lucem corpusculis rotundis constantem; ut *dal Sole e dalle stelle fisse incessantemente vibrati, liberi ne scorressero, sinacche di nuovo al suo origine ritornanda* &c. In posterum non mirabimur maculis foedari Solem . quomodo enim maculas non gignant atomi, ex cœno & paludibus ad Solem reversæ ? Difficultas est, an lucidæ atomi possint ad nos descendere : nam Sol videtur simillimus jacula suberea in mare vibranti . atqui frustra hic speraret ea ad fundum maris perventura ; nam aqua subere gravior, quemcunque iaculantis & iaculi impetum frangeret, ac sursum sagittam subeream extruderet . an non ergo aër, utpote gravior atomis lucidis, ille præsertim qui terræ vicinus est, earum prohibebit descensum ?

Fortasse imaginatus est A. quemadmodum aqua quantum descendit clausa in canalibus, tantundem

dem aſcendit ; ita lucidas atomos inſtar aquæ a Sole ad nos derivatas , ad ſuum fontem denuo redire . certè pares fieri lego p. 31. aquam & ignem , quid ni etiam aquam & Solem? *Che dal fuoco ſi parta continuamente il fuoco, ce lo fa conoſcer la fiamma , la quale dalle materie che abbrugia ſcaturiſce e ſi parte . e chi ciò negaſſe , potrebbe negare che il filo dell'acqua che ſi vede ſcuppar dal zampillo d'una fonte , non ſia ſempre nuova acqua .* urget autem paritatem . ſicut enim *in breviſsimo tempo ſi ſeccano, per mezzo di quel zampillo, capaciſsime conſerve d'acqua* . ita ſimiliter *per opera di quelle fiamme, ſi conſumano, l'olio la cera e le legna ſteſſe*. Darem A. ſcaturire flammam ex lignis , ſicut ex ingenti dolio aqua plano ſcaturit aqua . darem epiſtomium quo educitur ignis ex lignis , eſſe parvum ignem qui eis admovetur, modò mihi liceret , ignem ex ligno in aliquod vas transferre , ac viſibilem ſervare ; ſicut aquam ex dolio transferimus in concham , & ſervamus . quandoquidem verò id nobis non licet, liceret ſaltem poſt egreſſum flammæ ex ligno habere integrum lignum , ſicut poſt egreſſum aquæ ex dolio habemus integrum dolium . ſi neque id licet, licebit utique dicere , ideo haberi non poſſe ignem neque lignum , quia hoc mutatum eſt in ignem ;

iſte

iſte in aërem . Nec dubitari poteſt , quin lux ſit diſſimilis aquæ. ut hæc aſcendat,debet eſſe clauſa in canalibus , & impelli ab aliâ aquâ deſcendente ; nec ferè prætergreditur altitudinem, quam poſtulat æquilibrium . nihil autem ex his locum habet in luce , præſertim ſi verum ſit igniculos lucidos non habere ullam gravitatem ut dicit p. 103. ep. 2. Subdit autem : ſubſtantiam igniculorum gignentium calorem, eſſe minus gravem in ſpecie quam ſit aër , atque inde ſequi , *che ſia dall' aria premuta e coſtretta ad andare all' insù . e in conſeguenza fà di meſtieri che il caldo ſalga all' insù , toccandone pochiſsimo alle parti ſottopoſte e laterali* . Si aër non ſinit deſcendere calorem , quia illum gignunt igniculi leviores aëre , quomodo ſinet deſcendere lucem , non habentem ullam gravitatem ? Quomodo etiam calor non deſcendit , ſi infundendo aquam ferventem vaſi plumbeo , ſentitur calor vehemens ex parte inferiori ?

Pervenimus ad finem huius exercitationis ; neque tamen incidimus in labyrinthos inextricabiles quos A. pag. 25. ominatur Peripateticis . Imo putamus , difficultates quæ contra nos ad hominem non habent ullam vim , ita retorqueri ad hominem contra A. ut non habeant ullam legitimam ſolutionem . Quia vero in hanc arenam

non

non descendimus nisi desiderio publicæ utilitatis ; non pœnitebit nos nostrorum argumentorum si eis congruant A. verba pag 54. *Io non saprei come mi difendere da queste difficoltà ; ma non è per questo che io ne faccia alcun capitale.*

L A V S D E O.

# EXERCITATIO
## DE TRANSITV IGNIS
## PER VITRVM
## ET DE VACVO.

## IN VACVVM.

EST Vacuum nihil; & nihil, est sine Numine factum.
Fingit homo Vacuum, non facit ergo DEVS.
Defectus Vacuum; DEVS est perfectus, & Orbis.
Non facit ergo DEVS, nec Vacuum Orbis habet.
Vel minimum Vacui, defectus maximus esset:
Defectus Mundi maximus ille foret.
Cunctarum tanta est etenim coniunctio rerum;
Vna ut vel minima, cuncta, ruente ruant.
Iure ergo in Vacuum pugnans, invertitur Orbis:
Nam Vacuo admisso, nullus hic Orbis erit.

# CONCLVSIONES PHYSICÆ.

1 PRincipia corporum naturalium intrinseca, sunt materia prima & forma substantialis. In generatione vero & corruptione, intervenit etiam privatio, quę in illâ habet rationem termini *a quo*, in hac termini *ad quem*.

2 Materia prima est subiectum commune, semper manens in omni mutatione. Non est pura potentia in genere entitativo: ideo non implicat, ut DEVS faciat illam existere sine forma substantiali.

3 Materia prima non sunt atomi figuratæ; forma verò substantialis non est combinatio ato-

atomorum, sed est pars intrinseca compositi, determinans materiam primam ad constituendum illud, potius quàm aliud specie diversum.

4 Dantur formæ accidentales, contradistinctæ a substantia, & a motu locali corporum.

5 Opinio asserens omnes substantias corporeas constare atomis; & negans accidentia & qualitates physicas præter motum localem, non videtur conformis doctrinæ catholicæ, lumini rationis, & physicis experimentis.

6 Vnio inter materiam primam & formam substantialem, consistit in duobus modis substantialibus. Totum non distinguitur a partibus unitis.

7 Integra essentia physica est natura respectu individui, suppositi aut personæ: partes verò essentiales, sunt natura respectu integræ essentiæ.

8 Personalitas non superaddit naturæ intellectuali creatæ modum positivum, sed carentiam unionis intrinsecæ ad aliam primam substantiam, cum quâ posset esse unum suppositum.

9 Nulla creatura est causa totius ullius compositi nisi denominativè. Per primam productionem, determinatur ad esse effectus qui nunquam fuit; in conservatione verò, supponitur

exti-

extitisse tempore immediatè antecedenti.

10 Idea reperitur solum in agentibus intellectivis, operantibus formaliter propter finem: & consistit in conceptu obiectivo, ad quem respiciens artifex operatur.

11 Finis adæquatè sumptus complectitur finem *cui qui* & *quo*: propriè tamen ratio finis invenitur in fine *qui*. Materia est causa materialis formæ quæ ex illâ educitur, forma verò non est ullo modo causa materiæ.

12 Causalitas finis est intentio, efficientis est actio, materiæ passio. Tria hæc realiter sunt forma, quatenus per eam receptam in materiâ, agens consequitur suum finem.

13 Forma substantialis materialis educitur ex materiâ per alterationem extrinsecè terminatam, adeoque causa immediata substantiæ sunt accidentia.

14 Dantur effectus fortuiti & casuales respectu causarum secundarum, non tamen respectu causæ primæ.

15 Motus dicitur actus entis in potentiâ quatenus talis, quia per eum mobile habet id ad quod erat in potentiâ, si sit instantaneus, vocatur mutatio.

16 Vbicatio superaddit entitatem modalem rei locatæ ac loco. duratio nihil superaddit rei duranti ac tempori.

Fien-

17 Penetratio & replicatio quum definitiva tum circumscriptiva corporum naturaliter impossibiles, possunt dari virtute divinâ.

18 Repugnantia naturalis vacui convincitur experimentis ineluctabilibus. eadem ostendunt igniculos non transire per poros vitri.

19 Continuum constat partibus divisibilibus in infinitum, quæ non sunt rigorosè plures, dantur in eo indivisibilia.

20 Infinitum categorematicum creatum dari non potest, sed solum syncategorematicum.